



QK. 2

AK. 120,5.



DE
THOMA MÜNZERO,
SEDITIONIS OLIM RUSTICANAE IN THURINGIA
ET ANABAPTISTICI ERRORIS CORYPHAEO.


DISSERTATIO
HISTORICO-THEOLOGICA;
QUA
SENATUM ZWICKAVIENSEM

BONIS AVIBUS DENUO LECTUM
PIIS VOTIS EXCIPIT
CHRISTIANUS GOTTHILF ANGER,
AD AED. DIV. CATHAR. DIAC.

ZWICKAVIAE, TYPIS HOEFERIANIS. MDCCXCVII.

AK. 120.

(Ae. 2, 633.)



V I R I
C O N S U L T I S S I M I , E X C E L L E N T I S S I M I ,
A M P L I S S I M I , P R U D E N T I S S I M I ,
R E I P U B L I C A E Z W I C K A V I E N S I S
C O N S U L E S
P R A E T O R E S
R E L I Q U I Q U E S E N A T O R E S G R A V I S S I M I ,
P A T R O N I ,
O B S E R V A N T I S S I M E C O L E N D I !

Philippi Macedonis filius cum aliquando Corinthum venisset, quo, colloquendi gratia, omnis Graeciae capita convocaverat, magnus quoque philosophorum graecorum numerus eo confluxit, ut ipsi de electione ducis ad expeditionem contra Persas gratularetur. Inter illum doctorum virorum numerum quum Sinopensis ille philosophus, tum Corinthi degens, non compareret, de absentia ejus Alexander miratus est. Quod quum Diogenes audiret, declaravit: non esse opportunum gratulandi tempus, cum quis ad munus quoddam eligatur, sed expectandum, usquedum mandato munere recte riteque sit functus.

TU, VIR EXCELENTISSIME, LOTSI, per integrum annum fasces regiminis in civitate nostra ita gessisti, ut omnis omnino bonus de tua prudentia, moderatione atque alacritate, qua bonum publicum curasti, commodis ecclesiistarum atque scholae profpexisti, et reipublicae integritatem conservare atque augere studuisti, sibi gratulari possit. Quibus cum bonis me conjungo et nihil magis in votis habeo, quam

ut Deus O. M. TE, TUAMQUE FAMILIAM SPLENDIDISSIMAM PRO
indefessa cura TUA omnibus generis bonis bearē velit, TIBIQUE cū
Flacco acclamo: Serus in coelos redeas, diuque laetus interfis populo
Zwickaviensi!

Quod autem ad TE, EXCELLENTISSIME HEMPELI, cui ex hoc die
fasces regiminis a collega TUO dignissimo traduntur, a Sinopensis pli-
losophi sententia recedere, TIBIQUE jam de futuro munus oblatum ju-
re gratiā posse arbitror, quod jam saepius monstrasti, quanta pru-
dētia, mansuetudine, auctoritate et indefessa alacritate ecclesiarum
Lyceique dignitatem tueri, civitatis causas agere, et muneri TUO gra-
vissimo omni ex parte satisfacere studueris. Nihil ergo magis et TIBI
ex animi sententia opto et precor, quam ut providentiae divinae manus
et in posterum TECUM sit, omnibus in consiliis TUIS corporis pariter
atque animi viribus TE suslentet, TIBI et GENTI SPLENDIDISSIMAE
TUAE omnem, quae in homines cadit, prosperitatē tribuat quam cu-
mulatissime!

VOS, PRAETORES, PATRESQUE CONSCRIPTI, ingenio pariter ac
fide conspicui, Deus O. M. salvos semper et incolumes praesvet. Det
VOBIS cives parere faciles et qui VESTRIS consiliis prudentissimis fru-
antur, ita ut fides, pax, fas atque pietas semper apud nos florent,
neque rixae, neque altercationes neque furor rebellandi dies VESTROS
tristes unquam reddant. Faxit Deus, ne malignus Münzeri genias ul-
lum civium vestrorum corripiat, VOBISQUE ut antecessoribus VESTRIS
molestias creet!

De reliquo vos, omnes ac singulos, observantissime rogo, ut exi-
guum, quod VESTRIS meritis animi sinceritas, hoc solemni die, tan-
quam documentum mentis erga vos obstrictissimae, offert sacrificium,
humanissime accipiat, et me, measque res favori et patrocinio VE-
STRO habeatis quam commendatissimas!

*Excellentissimorum
Nomina Vestrorum*

observantissimus cultor.



Onus propemodum secula exhibent nobis homines, qui, cum vel ingenii acumine destituti essent, vel pravis animi cupiditatibus stimularentur, vel praejudicatis opinionibus, religionem externam spectantibus, inducerentur, vel Vatiniano quasi odio in magistratum politicum caperentur, interim tamen magnam apud posteros famam anhilarantes, perversis rationibus et detestabili via metam contingere studuerunt. Taceamus antiquioris aevi exempla, cum recentiorum temporum historia non pauca ob oculos nobis ponat eorum, qui aut sub praetextu religionis externae vel defendenda vel ulterius propagandae, fanatico furore alios ad seditionem concitarunt, aut specie status politici reformandi, et in meliorem ordinem redigendi, tumultus gravissimos inter sui temporis cives moverunt, quibus non solum ipsos solum pessimudederunt, sed multis quoque aliis, quos in partes traxerant suas, tristissimam sortem pararunt.

Quis est, qui nesciat, Petrum Eremitam, fanatica labe contaminatum, seculo p. C. n. XI. omnem fere Europam movisse, ut terram, sanctam s. promissam vulgo dictam, infidelium manibus manu armata eriperet? Quem quaeſo fugiunt facinora, quae Massaniello in Italia, et nostris temporibus Pugatschevius in Russia patravit? Quem motiones audacissimae Horjae et Klotzschkae in Hungaria? Quem conſpirationes van der Noodti in Belgia? Quem machinationes clandestinae

Cagliostris, Rosenfeldi Berolinensis, Mesmeri et Illuminatorum? quorum effrenata audacia vel consecratos principum thrones radicibus extirpare, vel omnem bonum status reipublicae vel religionis externae ordinem pervertere conabatur.

Cui seditionem moventium et malae notae hominum numero jure addendum putamus famosissimum istum Thomam Münzerum, apud Zwickavienses olim ad eandem Div. Catharinae aedem, ubi nos per tredecim et quod excurrit, annos, munere Diaconi functi sumus, per breve tempus concionatorem; de cuius vita, factis et fatis pauca disserere et in memoriam revocare animus est. In enucleandis autem iis, quae ad Münzerum spectant, sequentem servabimus ordinem, ut primo in ejus characterem et indolem inquiramus; porro de statu ecclesiastico aequo ac politico sui temporis videamus; deinde, quibus mediis rusticis Thuringenses ad seditionem moverit, et postremo, qualis vitae exitus illi famoso seditionis coryphaeo fuerit.

§. I.

Opus operatum susciperemus, si de vita Münzeri copiose scribere vellemus, cum jam sat multi ante nos doctissimi viri factiosum istum hominem vivis coloribus posteris depinxerunt. Inter antiquiores historiarum scriptores celeberrimus Melanchthon, Lutherus, Sleidanus, Georgius Fabricius, Tenzelius, Cyprianus, Freherus, Arnoldus, Seckendorf, Chyraeus, conspicui sunt; inter recentiores autem Warlichius et nuperime Strobelius eminent. Ex illorum doctorum viorum scriptis constat, Münzerum Stolbergae in Hirciniis seculo XV. a patre ignoto natum esse, crescente aetate se studio theologico in literarum universitate Vitebergensi dicasse, deinde functionem instructoris liberorum aliquamdiu in se suscepisse, quo cursu absoluto Zwickaviae et nonnullis aliis in civitatibus, postremo Altstadii in Thuringia munere concionatoris functum esse. *) Supra laudatus Fabricius **) in-

*) G. Warlichs Geschichte aus Obersachsen, für einen deutschen Knaben. Görlingen, 1786. p. 43.

**) Vid. Georg. Fabric. Orig. Saxon. Lib. VII, p. 865.

inprimis momenta quaedam adferit, e quibus nativa ejus indoles vide-re est. „Münzerus, inquit, a teneris calliditatis et contumaciae plen-nus, ingenio pravo et turbulentio, animo audace, moribus ad dolum et simulationem compositis fuit.“ Idem testatur Cyriacus Spangen-berg. *) Itaque non dubitamus, fidem cum Warlichio facere iis, quae Strobelius quidem allegat, quibus tamen diffidit, Münzeri sci-bicet patrem ejusdem indolis fuisse, quippe qui, jussu comitum Stol-bergenium, ob quoddam scelus commissum, suspensus fertur. En hic sententiam Flacci confirmatam, dicens: est in juvencis, est in equis patrum virtus; aut sententiam Christi: e spinis non uva, e tribu-lis ficus non potest colligi, nec arbor tetra fructus ferre potest bonos.

§. 2.

Insita Münzero ad seditionem proclivitas temporis successu vario alebatur modo. Ex illius aevi historia satis superque constat, pontifi-cem romanum et numerosam cum episcoporum tum clericorum cohoret, regnandi et possidendi cupiditate pulsam, omnia in laicorum conscientias jura vel astutia vel vi usurpasse. De religionis aut rei-publicae statu vel dicendo vel scribendo sententiam suam ingenue pro-fiteri capitale supplicium erat; omnis, strictissimo sensu, in ecclesia pressa vivebat. Interim tamen usque quaque non deerant, qui forti animo conscientiae vincula solvere et auream cogitandi libertatem ré-stituere in se susciperent. Quos inter notandus Petrus Abelardus in Gallia. Ioannes Wiclef in Anglia, et Ioannes Hus in Bohemia. Om-nes illi viri variis temporibus gravissimum illud collo a pontifice roma-no et episcopis impositum jugum decutere tentarunt, odiumque in eos, crudeliter dominantes, pariter ac in clericorum turbam propagarunt. Quid ergo mirum, si ejusmodi propensio ad decutendum papale jugum, in Münzero, de cuius turbulentio ingenio et animo audace supra dixi-mus, se quoque exereret et odium in clericos nutriret?

Cona-

*) S. Leben, Lehren und Schriften Thomä Münzers, beschrieben von G. Th. Strobel, Pastor in Wöhrl. Nürnberg, und Altdorf, 1795. in 8.

Conatibus Münzeri seditiosis ansam quoque perversus atque insulfus illius temporis libros sacros interpretandi modus praecepsit. Quemadmodum enim accurata et regulis interpretationis conveniens scripturae sacrae explicatio verum divini numinis cultum promovet, ad virtutis amorem allicit, officia hominis et civis inculcat et ad exactissimam eorum observationem incitat: ita quoque modus procedendi contrarius contrarium efficiat necesse est. Münzerum autem accuratae interpretationis librorum divinorum expertem plane fuisse, partim e literis ad principes et variarum civitatum magistratus datis, partim e sermonibus ad populum habitis satis superque adparet. *) Lutherus **) de eo ad Spalatinum ita scribit: „Altfstadii Quaestorem, cum apud me esset, monui, ut Thomae Prophetae spiritum ab se alienaret, si quid interim astum est, ignoro. Ego plane spiritum istum, quisquis sit, non queo ferre. Laudat me (ut Thomas ipse scribit) et tamen contemnit et alia majora quaerit. Deinde sic absurdis et inusitatis extra scripturam verbis et orationibus loquitur, ut phreneticum et ebrium credas.“ Porro. ***) „Iubebat suos taciturnos et torvum videntes et promissis barbis hispidos, vili vestitu incedere, jejuniis corpus aliquamdiu macerare, in angulo reclusos otiose deo cogitare, obortisque, quod fieri debere non negabat, dubitationibus, signum petere, eoque nomine cum deo proterve expostulare. Haec, pergit, quantum a Lutheri doctrina, qui ad regulam verbi divini omnia referebat, dissentit, nemo non videt.“ Idem adparet e literis Münzeri. †) Haec exempla, quorum plura allegare possemus, satis monstrant, eum nec tempora, quibus Veteris Testamenti vates vixerunt, respexit, nec populi rationem habuisse, cui a vatis illa vaticinia patefacta erant, nec facinorum, quorum causa poenae divinae populo Israelitico annunciantur, sed omnia ab eo promiscue temporibus suis esse accommodata;

*) G. Schmidt's Zwickerische Chronicle. T. II. p. 282. ff.

**) Vid. Seckendorf, hist. Lutheran, Lib. II. Sect. 48. §. 118. p. 194. ed. Francof.

***) it. Lib. II. Sect. II. p. 4.

†) G. Strobel p. 94. Münzers Brief an die Mannsfeldischen Bergleute, und p. 104. Münzers Brief an die Stadt Sondershausen.

data; inde venit, ut se Gideonem, vel aliorum heroum aut vatum similem et a Deo electum somniaret, a quo, ad illorum virorum modum, status politicus in meliorem ordinem, armata manu, redigendus et religio externa vi esset repurganda.

Historiarum amantes porro non fugit, jam ante et circa reformatio-nis tempora populum non ab episcopis et monachis solum, sed et a variarum provinciarum principibus durissime esse tractatum. Principes et magistratus in eos, in quos jus nauci erant, saeviebant, vestigalia severissime extorquebant, et nimis rigida juris observatione, humanitatis et aequitatis obliviscebantur, parcere subjectis recusabant. Cum autem, ex Sallustii sententia, crudelia et superbia imperia acerba magis, quam diuturna esse soleant, iratus tandem et concitatus populus collum jugo amplius subdere noluit gravissimo. Rustica imprimis gens, servorum more tractata, jugum illud aegre sustinuit, et rebus, a dominis pro lubitu actis, est offensus. *) Postquam igitur diu frustra flagitasset, ut mitius tractaretur, domini vero precibus benignam au-rem

*) D. Luther schrieb deshalb einmal an die Fürsten: Wir mögen auf Erden niemands den danken solchen Unraths, denn Euch, Fürsten und Herren, sonderlich blinden Bischoffen, tollen Pfaffen und Mönchen, die ihr noch heutiges Tages verstocket, nicht aufhobet zu toben und zu wüten wider das heilige Evangelium. Dazu im weltlichen Regiment nichts mehr thut, denn daß ihr schindet und schazet, euren Hochmuth und Pracht zu führen, bis daß es der arme gemeine Mann nicht kann noch mag länger ertragen. Das sollt ihr wissen, lieben Herrn, Gott schafts, daß man nicht kann, noch will, noch soll eure Wüterei die Länge ertragen. Ihr müßt anders werden und Gottes Wort weichen. Thut's ihr nicht, durch freundliche willige Weise, so müßt ihrs thun durch gewaltige verderbte Unweise. Thun's diese Bauern nicht, so müßtens andre thun. Ist euch nun noch zu ratzen, meine lieben Herrn, so weicht um Gottes Willen dem Zorn. Einem trunkenen Mann soll ein Jüder Heu ausweichen: wie vielmehr sollt ihr das Toben und störrige Toranney lassen, und mit Vernunft den Bauer handeln, als den Trunkenen oder Irrigen. Fahet nicht Streit mit ihnen an, denn ihr wißet nicht, wo das Ende bleiben wird. Suchs zuvor gütlich auf, daß nicht ein Funke angehe, und ganz Deutschland anzünden, daß niemand löschen könnte. S. Ermanungen zum Friede auf die zwelf artikel der Bauernschaft von Schwaben. Auch widder die reubischen vnd mordischen rostten der andern bawern. Mart. Luther. Wittemberg. 1525.

rem praebere nollent, tandem de auxilio desperans, ad rebellandum confluxit. Primo statim concitata rusticorum turba in Suevia praestitam antea dominis obedientiam anno MDII. denegavit. Paulo post rebellandi furor alias provincias, praecipue Franconiam, corripuit, ita ut omnis fere Germania ad annum usque MDXXV. bello truculentissimo devastaretur. Rustici enim instar canum rabiosorum in nobilium, episcoporum et principum arces et monasteria invadabant, et rapinis, incendiis, caedibus et latrociniis grassabantur, ita ut noxii cum innocentibus, fontes cum insontibus, facultatibus, honoribus et vita spoliarentur. *)

Rebus ita stantibus Münzerus occasione callidissime usus, et, se Gideonis gladium habere somnians, rusticos in Thuringia, postquam cum Storchib, Pfeifero aliisque aëleclis paulo ante Zwickavia pulsus esset, ad tumultuandum provocavit, qui jam, eo duce novis rebus gaudebant, et feliciora tempora in expectatione habebant. **) Novandarum rerum studio annuit dissensio tum inter Electorem Saxoniae, Fredericum, et Ducem Sax. Georgium fratrem exorta. Cum enim alter rogaret, ut sibi adversus tumultuantes rusticos in Thuringia copiae mitterentur auxilio, alter respondit, hoc fieri in praesenti non posse, simulans, semetipsum in subditos suos vigilare cogi. ***)

§. 3.

Palmarii momentis de indole et charactere Münzeri, pariter atque de illius temporis statu ecclesiastico et politico allatis: addere licet atque monstrare, quibus ad concitandum populum adminiculis usus vel potius abusus sit. Anabaptistici erroris Münzerum a multis accusari, scripta eorum docent. Sed scriptis ac sermonibus ejus ad populum

*) Vid. Chytraei Chronic. Saxon. p. 331. et Freherus in script. rerum German. T. III. p. 239. etc. ed. Hanov. 1611. Fol.

**) S. die Historie Thome Münzers, des Anfängers der böringischen ussur, sehr nützlich zu lesen. Hagenau, durch Johannem Seerium Getruckt.

***) S. Strobel, I. c. P. 105.

pulum habitis, accuratius consideratis, adparere videtur, finem ejus primarium neutquam fuisse, ut christiana religionis confessores iterum baptizarentur, (atebatur tantum hoc vehiculo ideo, ut affieblas suos hac via ab ecclesiae doctoribus magis magisque abduceret) in aperto potius esse credimus, scopum ejus praecipuum fuisse, ut, sub palladio religionis, omnem ejus statum externum aequem ac politicum tolleret. Lutherus scilicet libertatem hominum a jugo papali praedicaverat, eosque in rebus ad religionem pertinentibus nulli humano judici subditos atque obstrictos ingenue professus erat, non vero, ub subditi magistratibus suis obedientiam praestandam denegarent. *) Hanc Lutheri doctrinam Münzerus in rem suam callide vertit, atque affirmavit, magistratum politicum supervacaneum esse, omnes ac singulos Christianos in omnibus liberos esse declarandos. Cumque rudis librorum factorum interpres esset, iis locis, ubi de Christianorum libertate sermo est, abutebatur, auditoresque suos docebat, idem in praesenti valere, quod olim per vates scriptum erat. Cumque moribus ad dolum et simulationem compositis esset, Luther et omnibus bonis obtrectavit, ut eo magis prae reliquis Iuceret. **) Mirum ideo dei auxilium jaetavit, hostiumque arma, si ad pugnam veniret, vel pallio suo se aversurum populo obcaecato persuasit. Talia somnia et regnum spirituale instituere tendens, homines quoque ut omnia nova existarent, iterum baptizandos affeveravit. Quae doctrina paulo post sectam anabaptistarum genuit, de qua pauca adsperrere animus est.

Ex ecclesiastica primorum seculorum historia constat, iterationem baptismi jam a Donatistis et nominatim ab Optato, ***) sed alias ob causas quam a Münzero, esse defensam. Volebant enim iterari, vel quia aliquis ab una secta ad aliam transierit, vel quia aliquis lapsus sit et ad ecclesiam redire cuperet, vel quia baptizatus infans adhuc fuerit.

B 2

Sed

*) S. Luthers Ermahnung zum Frieden, auf die 12 Artikel der Bauernschaft in Schwaben, und dessen Sendschreiben: Eyn treu vermahnung Martini Luthers zu allen Christen, Sich zu vorhuten fur aufruhr und Empörung. Wittenberg.

**) S. Hochverursachte Schutz Rede wider das Geistlose, saftlebende Fleisch zu Witemberg, Thomä Münzers, Altsläbter, 1524. 4 3/4 B. in 4. lib. rariss.

***) Vid. Bebelii antiquit. eccl. T. I, p. 296.

Sed illam illius sectae adsertionem falsam fuisse, vel inde adparet, quod, si quis propter transitum a secta ad sectam baptizari debuisset, sequeretur, homines videri potius in sectam, quam in Christum baptizari, totiesque baptizandi fuissent, quoties ad aliam sectam transierint. Alia erat opinio eorum, qui lapsos, h. e. eos, qui deserto Christianismo ad paganismum redierant, ad ecclesiam revertentes rursus baptismu religione obstringendos censebant. Hoc vero alia ratione fieri poterat, prout et fiebat. Nam publica, quae tum erat, poenitentia, ut nimis lapso per plures gradus aut per plures hebdomades publice confiterentur poenitentiam, erat via consueta, religioni se denuo obligandi. Itaque et ab aliis ecclesiae patribus Donatistarum errori fortiter est contradicatum. Münzerus in eundem errorem incidit, declarans, omnes illos, qui a partibus suis stare cuperent, denuo esse baptizandos, quia infantum baptismus plane inutilis esset, nullamque obligandi vim haberet. Liceat igitur, hac occasione breviter monstrare, infantes omnino esse baptizandos.

Primum atque gravissimum pro infantum baptismu argumentum esse credimus successionem ejus in locum circumcisionis, id quod Paulus Cap. II. 11, 12. ad Coloss. disertis verbis testatur. Foedus scilicet gratiae erat in V. T. cum Abrahamo ejusque posteris, ob hoc ergo foedus gratia quoque ad omnes omnino posteros ejus pertinet. Hoc docet Paulus Cap. V. v. 26. ad Ephes. tota, inquit, ecclesia mandata est, lavacro baptismi. Atqui infantes ad ecclesiam pertinent, ergo et lavacro illo mundandos esse, necesse est. Cumque praeterea circumcisione haberet vim, ut aliquis per eam suscipretur in ecclesiam judaicam, omniaque civilia et sacra iudaicae gentis jura haberet, ita ut posset cum ea sacra facere, in templo precari, agno paschali vesci: ita quoque baptismus eandem vim habet. Infans deo offertur et traditur, promittiturque ut in religione christiana instituatur et sic habeat communia jura in coetu Christiano.

Secundo verisimile est, jam ab Apostolis et aliis illius temporis ecclesiae doctoribus infantes esse baptizatos, id quod praecipue loca Act. XVI. 15, 33. XVIII. 8. et I Cor. 1, 16. credere suadent. Quibus rationibus pro paedobaptismo allatis haudquam institutionem Christi ob-

obstare arbitramur. Cum enim servator Apostolis Matth. XXVIII. praecepit: μαρτυρεστε, verbum μαρτυρεων non habet vim docendi, sed numero discipulorum suorum addendi, hac significatione occurrat Ioh. IV, 1. et Act. XIV, 21.

Praeterea infantes quoque reconciliationis cum deo et fidei participes fiant, necesse est. (Fides autem hic, per metonymiam, est spiritus sancti in mentibus infantum actio, per et propter quam accipient remissionem peccatorum, quia haec actio idem in infantibus efficit, quod fides in adultis.) *) Cum enim Paulo teste, Rom. V. non solum cum peccato, i. e. cum vitiositate naturae nascantur, sed etiam per Adamum imputetur iis peccatum, i. e. tractentur ut peccatores, calamitatibus et morti obnoxii: necesse etiam est, ut per Christum a peccatis liberentur et per spiritum sanctum renascentur. Objiciat aliquis: infantes autem sibi non concii sunt peccati per Adamum imputati: ergo sibi etiam non concii sunt fidei et reconciliationis cum deo per baptismum? Sed respondemus: quemadmodum conscientia ad vitam naturalem non opus est, (homo enim dormiens vivit et sui tamen non conscientis est) ita ad vitam spiritualem infantibus non opus est conscientia, sed vi spiritus sancti producuntur in iis motus quidam boni, et hoc modo deus operatur, quod opus est, ut infantes fidei participes fiant.

Infantes hanc ob causam baptizari posse, debere ac licere, statuit inter veteres eccl. doctores Dionyius Areopagita **) dicens: „infantes quoque, qui per aetatem nequeunt intelligere, divinae regenerationis sanctissimorumque divinae communionis mysteriorum participes fieri.“ Et suffragatur Hieronymus, his verbis: „Cruenta infantum corpora, statim ut emittuntur ex utero, lavari solent: ita et generatio spirituialis lavacro indiget salutari.“ Eadem est Augustino sententia, quam Ep. 57. his verbis explicat: „dicimus ergo, in baptizatis parvulis, quamvis id nesciant, habitare spiritum sanctum. Sic enim eum nesciunt, quamvis sit in eis, quemadmodum nesciunt et mentem suam,

B 3

cujus

*) Vid. Ernesti Theol. Bibl. 2te Th. p. 541. und 1ote Th. p. 145.

**) Vid. Bebelius 1. c. T. II. p. 264. 294.

cujuſ in eis ratio, qua uti nondum poſſunt, veluti quaedam ſcintilla ſopita eſt, excitandae aetatis accessu.“ Et cum oſtendifſer, in qui- buſdam etiam adultis, hoc neſcientibus, habitare ſp. f. addit: „habi- tare autem ideo in talibus dicitur, quia in eis occulē agit, ut ſint tem- plum ejus, id quod poſtea perficit in proficienſib⁹ et proficiendo per- feverantibus.“ Eandem ſententiam fovet Lutherus, dicens: „ſicut verbum dei potent⁹ eſt, dum ſonat, etiam impii cor mutare, quod non minus eſt ſurdum et incapax, quam ullus parvulus: ita per orā- tionem ecclesiae offerentis et credentis parvulum exiſtimo in baptiſmo, fide infuſa, mutari, mundari et renovari. *)“

De baptiſmo autem ſemel rato non reiterando Cyrillus ita ſcribit: „Non licet bis aut ter hoc lavaero uti.“ Eandem ſententiam fovet Athanasius, dicens: ἐγ ἔνας τὸ τῆς παθοληπῆς ἐκκληſιᾶς βάπτιſμος, καὶ μὴ δεύτερος. Subſcripti etiam huic ſententiae Concilium Latera- neneſe et Synodus Capuana, teſte Synodo Carthaginienſi. Sic enim haec: Can. XLVIII. „illud autem ſuggerimus mandatum vobis, ut non liceat fieri rebaptizationes, reordinationes vel traſlationes Epifcoporum.“

Sed noſtrum in praefenti non eſt, historiam aut deſenſionem pae- dobaptiſmi ſcribere, cum jam doctiſſimi viri hoc dogma pertraetur, v. c. Vofſius in XX diſputationibus de baptiſmo, ubi non dogma ſolum, ſed et historia baptiſmi per omnia ſecula recaſetur. Porro Gadake- rus in operibus criticis, ubi ad calcem diſputatio de vi et efficacia pae- dobaptiſmi extat. Et inter veteres Eusebius de baptiſmo et Iuſtinus Martyr in Apologia prima.

Redeamus igitur, poſt hanc digreſſionem, ad Anabaptiſtas recenti- orum temporum, qui infantum baptiſmum repetendum ſtatueri, cum ad maturiorem aetatem veneſi. Dogma Münzeri et Nicolai Storchii de rebaptizandis hominiſbus ſequenti tempore accerrimos habuit deſen- fores in Westphalia, Belgia et Helvetia. Quorum caput in Helvetia fuit Thomas Schucker; in Belgia Melchior Hoffmann, et Ioannes Mat- thiesen, piftor Harleſi, qui duos Apoſtolos, ſcilicet Ioannem Bock- old, f. Ioannem von Leiden et Gerhardum quendam Monasterium mi- sit

*) Vid. Chemnitii Examen Concil. Trident. p. 338.

fit, ad novam doctrinam divulgandam. His certus quidam Berndt Knipperdrolling se adjunxit, multos deinde alios in partes suas trahens, ita ut brevi tempore omnia perturbarentur et status politicus pariter ac ecclesiasticus perverteretur. *) Ioannes von Leiden rex a suis factus aliter sentientes crudelissime tractavit, usquedum Episcopus Monasteriensis cum aliis principibus tumultuantium conatibus anno MDXXXVI. finem imponeret, quo Ioannes Bockold cum suis justas facinorum poenas sustinuit. **)

§. 4.

Is erat errori anabaptistico in Westphalia finis. Eundem Münzeri suorumque fanatismus in Thuringia habuit exitum. Cum enim ab incertibus suis desistere nollet, tandem Elector Saxoniae Ioannes et Dux Saxoniae Georgius cum Landgravio Hassiae, Philippo, Duce Brunsvicensi, Henrico, et Comite de Mansfeld se conjunxerunt, rusticos tumultuantes, circiter octo millia, in monte ad Frankenhusum castra habentes, aggressi sunt, cumque ad pugnam venisset, ad quinque circiter millia conciderunt, alii capti et capite mulctati sunt, alii auffugerunt. Münzerus, proelio vietus, in oppidum fugit, inque domum non procul a porta se abdidit; ibi morbum simulans, in lecto, in superiori aedium parte, decubuit. Ibi vero a famulo cuiusdam nobilis Luneburgensis, qui in eadem domo divertit, cognitus, captus et ad Georgium, Ducem Saxoniae et Landgravium Hassiae abductus est. Paulo post Mulhusii cum Pfeiffero capite plexus, caput exempli causa hastae adfixum et mediis in campis est collocatum. Is fuit exitus homini calliditatis et contumaciae pleno, is exitus homini ad dolum et simulationem composito, qui praedicaverat, se divinitus jussum esse, bellum suscipere adversus principes.

*) Vid. Chytraeus l. c. p. 412.

**) G. Neujahrs Geschenk aus Westphalen für einen deutschen Knaben, Göttingen, 1784, in 12. Ingl. Walch's Religions Streitigkeiten, 4 Th. p. 713.

Zo 7710 Ak

18. 10. 1829
Von Dr. C. F. W. Nees von Esenbeck
in Berlin
an den Herausgeber der "Botanischen Zeitung"
mit dem Befehl, dass er sie nicht weiter
verbreiten solle, und mit der Bitte, dass
er sie nicht als seine Arbeit ansiehe,
sondern als die eines unbekannten Botanikers
und so vertheidige, wenn sie aufmerksam
auf sie aufmerksam gemacht werden.
Die Arbeit ist eine sehr interessante
und wichtige, und wird sicherlich
die Botanik sehr weiterbringen.
Sie besteht aus einer Reihe von
Abbildung und Beschreibung
der Pflanzen, die in der Natur
vorkommen, und ist sehr
wichtig für die Botanik.
Sie ist in einem sehr
guten Zustand
und kann
sehr gut für
die Botanik
verwendet
werden.
Sie ist
eine sehr
interessante
und
wichtige
Arbeit
und
wird
sicherlich
die
Botanik
sehr
weiterbringen.
Sie
ist
in
einem
sehr
guten
Zustand
und
kann
sehr
gut
für
die
Botanik
verwendet
werden.
Sie
ist
eine
sehr
interessante
und
wichtige
Arbeit
und
wird
sicherlich
die
Botanik
sehr
weiterbringen.

18. 10. 1829
Von Dr. C. F. W. Nees von Esenbeck
in Berlin
an den Herausgeber der "Botanischen Zeitung"
mit dem Befehl, dass er sie nicht weiter
verbreiten solle, und mit der Bitte, dass
er sie nicht als seine Arbeit ansiehe,
sondern als die eines unbekannten Botanikers
und so vertheidige, wenn sie aufmerksam
auf sie aufmerksam gemacht werden.
Die Arbeit ist eine sehr interessante
und wichtig für die Botanik.
Sie besteht aus einer Reihe von
Abbildung und Beschreibung
der Pflanzen, die in der Natur
vorkommen, und ist sehr
wichtig für die Botanik.
Sie ist in einem sehr
guten Zustand
und kann
sehr gut für
die Botanik
verwendet
werden.
Sie ist
eine sehr
interessante
und
wichtige
Arbeit
und
wird
sicherlich
die
Botanik
sehr
weiterbringen.
Sie
ist
in
einem
sehr
guten
Zustand
und
kann
sehr
gut
für
die
Botanik
verwendet
werden.
Sie
ist
eine
sehr
interessante
und
wichtige
Arbeit
und
wird
sicherlich
die
Botanik
sehr
weiterbringen.

l
Pon Zc 7710
1 ad

ULB Halle

005 002 117

3



Z
c
7710

DE

THOMA MÜNZERO,

EDITIONIS OLIM RUSTICANAE IN THURINGIA

ET ANABAPTISTICI ERRORIS CORYPHAEO.

DISSERTATIO

HISTORICO - THEOLOGICA;

QUA

ENATUM ZWICKAVIENSEM

BONIS AVIBUS DENUO LECTUM

PIIS VOTIS EXCIPIT

CHRISTIANUS GOTTHILF ANGER,

AD AED. DIV. CATHAR. DIAC.

WICKAVIAE, TYPIS HOEFERIANIS. MDCCXCVII.

B.I.G.

Black

3/Color

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

